

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1759

**Auteur(s) :** Évreux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1259, 9 janvier

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Accord, devant l'official d'Évreux, entre l'abbaye du Bec, au nom du prieuré, et Simon, prêtre, au sujet des dîmes de Barc.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° CIII, p. 78-79.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis. officialis Ebroicensis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum contencio esset inter abbatem et conventum Becci Heluyni, ex una parte, et Symonem, presbyterum de Barco juxta Bellummontem, ex altera, super eo quod idem presbiter petebat terciam partem guesdarum, et decimas bladorum in ortis crosencium, et quasdam alias decimas ad ipsum de jure communi ratione spectantes, prout in libello suo continebatur, ut dicebat ; dictis abbate et conventu ex contrario asserentibus dictas decimas ad ipsos jure speciali pertinere, adjicientes quod idem presbiter contentus esse debebat minutis decimis tantum et proventibus altaris sui et terre elemosine, et habitatione sua ad dictam ecclesiam spectante, prout in cartis et ordinationibus super factis felicis recordationis Luce necnon et Ricardi, quondam Ebroicensium episcoporum, plenius continebatur, ut dicebant. Tandem super dicta contentione conventum fuit inter ipsos in hunc modum, quod idem presbiter contentus erit de cetero minutis decimis parrochie de Barco, inter quas decimas guesdarum decima non computabitur, nec minutis decima censetus in hac parte ; quarum decimas habebant dicti abbas et conventus nomine prioratus sui de Bellomonte Rogeri cum omni integritate, necnon et decimas omnium bladorum, sive creverint in ortis, sive in campis. Et ydem Symon presbiter habebit decimas lini, canabi et fabarum per totam suam parrochiam, salvo dictis abbati et conventui campiparto, quod dicti abbas et conventus habebunt cum omni integritate. Et non decimabitur presbitero antedicto. Et tenentus dicti abbas et conventus solvere dicto presbitero annuatim, ad natale Domini, duos sextarios mistili et unum ordei ad mensuram de Bellomonte, pro omnibus que petere possit aut petebat ab eisdem abbate et conventu nomine sue ecclesie antedictae. Juraverunt insuper frater Helyas, prior de Bellomonte Rogeri, procurator dictorum abbatis et conventus, habens potestatem et mandatum speciale ab eisdem conventu transigendi, componendi, compromittendi, et dictus Symon, tactis sacrosanctis Evangeliiis, in jure coram nobis, se omnia et singula fideliter observaturos et se non contraventuros, prout superius est expressum. In cujus rei testimonium, sigillum curie Ebroicensis ad petitionem parcium, presentibus litteris apposuimus. Datum die Mercurii post Ephyphaniam Domini, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo.